

earum motus, tum etiam Eclipses computare possumus. Sicut verò in
 jam memoratis usus doctrinae de Triquetris rectorum linearum cum an-
 gulo recto præcipuè versatur: ita doctrina de Triangulis globi maxime
 conspicitur in Sphericis, quibus universa doctrina primi mobilis conti-
 netur. Per hanc enim conficiuntur Canones Declinationum, Ascensio-
 num Rectorum & Differentiarum Ascensionalium; extruuntur & ca-
 nones Angulorum, quos Ecliptica facit cum Meridiano, cum Horizonte,
 cum Circulis per Verticem transeuntibus, quorum usus etiam ad Eclipsi-
 um doctrinam est necessarius. Per hanc doctrinam etiam cujuslibet
 stellæ extra circulum, qui per medium signorum est, posita, cujus ta-
 men lognitude cum latitudine fuerit data, Declinatio, Ascensio recta
 innotescit, & cum quo gradu signiferi culminet; & vice versa, quomodo
 bis datis illa inveniantur. Per eandem & dies maximus, Latitudo or-
 tus, Inclinationo Sphære & reliquæ Differentiæ, crepusculorum quantita-
 tes, incrementa & decrementa demonstrantur. Quin & Canones de
 ortibus & occasibus stellarum tam veris quam apparentibus hujus ope
 conficiuntur. In summa huic doctrinae de Triangulis globi debentur o-
 mnes omnium de primo motu Canonum compositiones. Neq; tamen his
 terminis inclusus & circumscriptus est hujus doctrinae usus, sed multò la-
 tiùs se extendit. Ex hac enim doctrina in Meteorologicis demonstratur,
 summam vaporum distantiam à terra non excedere 12. vel 13. milliaria
 germanica. Per eandem investigatur Cometarum, si quando apparent,
 locus in Zodiaco, latitudo, declinatio, ascensio recta, parallaxis, qua ve-
 rus locus ab apparenti discernitur. Nam absq; hac, certa sententia fer-
 ri non poterit, de Cometar. à centro mundi, centroq; visus distantia, de
 Cometar. diametro tam vera quam apparente & ipsorum corpulentia.
 Estq; summa hujus doctrinae laus, quod non basit in exiguis & in his infe-
 rioribus machinis, ut Mechanica, quæ ædificia, vasa, aut alia exigua cor-
 pora metitur (etsi & ea exercitatio liberalem continet cognitionem, &
 magnas in vita utilitates adfert) sed evolavit in cælum, & admiran-
 dum mundi opificem & gubernationem ejus nobis monstrat. In hoc opi-
 ficio mundi, metitur corpora luminarium Solis & Lunæ ac reliquarum